

Strinam; Juxta illud Pauli 2. Cor. 6. v. 14. & seqq. *Quod enim consortium Justitiae cum Injustitia? quae communio luci cum tenebris &c.* Respectu autem posterioris, sc. vitae Politicæ, non semper ab iis nos possumus segregare, nisi mundo exire velimus. I. Cor. 5. v. 10. *Scripti vobis per Epistolam &c.* Sic Abraham apud Aegyptios tempore famis commoratus est, Gen. 12. v. 12. Et Isaac familiariter cum Philistæis conversatus est Gen. 26. Verum & hic sunt quædam Regulæ observandæ, quæ Politicam & Externam Christianorum cum Hæreticis conversationem moderari debent. (I.) *Ne amicitiam Hæreticorum ultrò appetamus, sed cum iis tantum converseremur vel urgente necessitate, vel aliquo modo invitati seu provocati.* (II.) *Ne nimis frequenter sed rarius cum illis colloquamur:* Frequens enim conversatio speciem collusionis præ se fert: (III.) *Ne mutis simus, ne vel ad errata ipsorum conniveamus, sed dissensum nostrum publicè profiteamur.* (IV.) *Ne in errore illos relinquamus, sed partim duriter, partim leniter tractemus, & omnia conversionis media adhibeamus.* (V.) Et ultimò; *Si contumaces fuerint ab iis discedamus eosq; devitemus:* Juxta monitum Apostoli Pauli Tit. 3. v. 10. *Sectarum autorem hominem i. e. Hæreticum post unam & alteram admonitionem fuge.* Hinc potest alia quæstio moveri:

Q. II. *Quomodo status Ecclesiasticus in Coercendis Hæreticis debeat procedere? & quos gradus observare teneatur?* Resp. Quatuor nobis gradus monstrari, quos status Ecclesiasticus observari debet. (1.) est *ἀκρίβεια* diligens observatio, attentio & inquisitio, ex notis & circumstantiis variis instituenda, ne innocentes habeantur pro nocentibus & reis, & ne nostri Doctores Orthodoxi habeantur pro Hæreticis Rom. 16. v. 17. *Obsecro autem vos fratres ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt.* (2) *ἐλεγχὸς καὶ κατεδoσία*; falsæ Doctrinæ & pravi facti correptio ac monitio. Monstrandi enim sunt Hæreticis errores ex Script. S. ex ejusque apertis fundamentis sunt convincendi & quidem non semel sed sæpius. Tit. 3. v. 10. (3.) est *τὸ ἐμκλίνας* i. e. odio quodam adversari & declinare illos. Rom. 16. 17. Item *τὸ ἀποδοξάζειν* i. e. recusare & repudiare Tit. 3. v. 10. (4.) & supremus gradus censuræ Ecclesiasticæ est Hæreticum pertinacem & Eccle-

siæ-